LUDOVICUS. Miseratione diuina tt. Sancti Laurentij in Damaso. Sancte romane ecclesie presbiter Cardinalis patriarcha Aquileien ac Dni pp. Camerarius. Egregio uiro Nardino de Nardinis de forliuio potestati Terre Aquependentis prouincie patrimonij Beati petri in Tuscia pro S.mo Dno nro papa: Sanctaque romana ecclesia. Salutem in dno sempiternam. Sincere deuotionis affectus: quem ad sanctam romanam ecclesiam et sanctissimum Dominum nrum papam hactenus gessisti et gerere comprobaris: aliaque probitatis et uirtutum merita: quibus ut fidedignis relatibus accepimus te altissimus insigniuit. merito nos inducunt: ut tibi reddamur ad gratiam liberales: Sperantes quod ea que tibi committenda duxerimus fideliter ac laudabiliter exequeris. Cum igitur unus existas ex quatuor per Comunitatem dicte Terre Aquependentis: ad ipsius Terre potestarie officium electis: quorum unus per prefatum Sanctissimum Dominum nrum confirmari debet: premissorum consideratione inducti: de mandato sue S.tis super hoc uiue uocis oraculo nobis facto et auctoritate nri Camerariatus officij: te Nardinum predictum: potestatem dicte Terre: pro Semestri tempore incohando in Kl Nouembris proxime futuri et ut sequitur finiendo cum salario familia emolumentis honoribus atque honeribus de proximo consuetis: tenore presentium facimus constituimus creamus ordinamus ac etiam deputamus Dantes et concedentes tibi harum serie huiusmodi officium cum omnibus iuribus et pertinentiis suis tam de consuetudine quam de iure faciendi gerendi et exercendi: prout alij predecessores tui tibi hactenus constituti facere et exercere consueuerunt plenam in domino facultatem. Mandantes Gubernatori prouincie et prioribus ac Comunitati terre predicte: quatenus te ad dictum officium eiusque liberum exercitium recipiant et admittant: pareantque efficaciter et intendant: Et illis ad quos spectat: ut de prefato salario et emolumentis debitis temporibus tibi respondeant ac responderi faciant cum effectu. Nos enim quascunque condemnationes ac sententias per te rite ferendas ac statuendas in rebelles gratas ac ratas ex nunc habentes auctore domino faciemus inuiolabiliter obseruari. Tu autem sic prudenter sollicite et iuste dictum officium studeas exercere ut apud prefatum Dominum nrum merito ualeas comendari. Volumus tamen ut antequam illud incipias exercere de eo fideliter administrando prestes in nris manibus in forma solita iuramentum. In quorum testimonium presentes fieri nrique sigilli Camerariatus officij iussimus appensione muniri. Dat Rome apud Sanctum Laurentium in Damaso die xxviiij mensis Augusti. MCCCCLVo. pontificatus S.mi Dni nri dni Calisti diuina prouidentia pape Tertij Anno primo.

R

ARCHIVIO STORICO ACQUAPENDENTE